

ut exhausta omnia videri possent. Sed novum addit eumque insolitum casum *Carpz. l. 2. Resp. 80.* Quaerit nempe, utrum is, cui iam tum per sententiam imposita erat iuratoria cautio, si, antequam iuraverit, adhuc idoneum fideiussorem inveniat, a praestatione iuramenti liberetur, et, an adversarius eius fideiussorem accipere cogatur. Facilis quidem erat decisio ex iurisiurandi illius formula, in *dicta Auth.* contenta et usu fori recepta, qua affirmare debet actor, *se fideiussorem dare non posse.* Unde, si postea aliquem reperiret, a praestando iureiurando, tametsi per sententiam imposito, deberet liberari; secus ac *Carpzovio* videtur. Sed, quid opus est, difficiles habere nugas, cum non probabile sit, unquam accidere posse, ut adversarius malit, verbis sibi et iureiurando caveri, quam oblatum idoneum fideiussorem accipere. Cerebrinus igitur ille casus mihi videbatur, neque possibile, ut in foris eveniret. Sed affirmavit mihi tamen Magnificus Praeses, accidisse subinde, ut aliqui aut *Carpzovii* auctoritate abrepti, aut ab advocatis decepti, cum idonei fideiussores offerrentur, exposcerent, stupentibus iudicibus, ut iureiurando sibi caveretur. Qua de re semel vel bis Ordo Vitembergensis pronunciavit.

XXXI. Alii, ut difficiliorem subtilioremque reddant iuris tractationem, eius capita vanis et superfluis distinctionibus exornant. Quarum exempla iis deficere non possunt, qui communium iuris interpretum volumina evolvunt. In primo statim vestibulo otiosae illae et obscurae iustitiae in universalem et particularem; huius in distributivam et commutativam divisiones occurrent. Quales, si nullum alium, hunc certe praestabunt usum, quem fabulae et aenigmata illa praestiterunt priscis Aegyptiorum philosophis, ut sapientiam suam, quam perspicue proponere poterant, tenebris invol-

vol-